

**Et qui Corpus omne in seipso Siccum sit , Humidum nullum.**

Agendum hic etiam de rerum Profluentijs , quæ partim  
Sensu exteriori aliquo , partim nullo percipiuntur.

Ex quibus ijsq; plenioribus & occultioribus cuncta fiunt,  
Antipatiæ & Sympatiæ existunt & in Distantia operationes ex-  
ercentur.

Quæ ipsæ Profluentiæ regi, allici, auerti, in angustum &  
in lineas cogi , et in distantias immensas protrahi, iuuari, mu-  
tari, scindi etc, possunt.

Colorem item Aeris Diurnum , alium item Nocturnum  
indicabimus: adeoq; Aerem ipsum contra Opticorum receptam  
traditionem reuera conspici: imo & noctu vel in tenebris niger-  
timis & Aerem & cætera omnia videri , non tamen ob colo-  
ris tunc in opacis omnibus similitudinem à sensuicem discerni  
ostendemus.

Lucis etiam & Tenebrarum naturam exactam, et his con-  
similia hic dabimus.

Et vnde sit quod vt cætera fere omnia ad se feruntur, sic &  
vmbra ipsa euidentissime ad vmbram feratur, et Lux ad Lucem.

**III. De Motu Aeris locali tractabimus, eoq; quadruplici.**

Primum quando Aeris portio superior continue ab ortu in  
occasum rapitur.

Dehinc acturi de eo Aeris motu quem Ventum vsitate di-  
cimus.

Ventum enim nil aliud quam Aeris motum esse demon-  
strabimus.

Tertio motum proponemus Aeris proprium & leniorem  
qui Aura dicitur.

Et demum Motus eiusdem Aeris rariores magisq; particu-  
lares tractabimus, vt sunt Turbines, Vortices & similes motus  
Aeris inordinati, et ignorantib; nonnunquam plane admirandi.

Peculiares & insignes Motus Aeris cuiuscumq; causas sub-  
iuncturi.

### *Et hæc de Aere seu Continentे.*

Porro Contenta huius Aeris, quæ Metheora dicimus, non  
triplicia tantum proponemus, sed eadem sex includemus diffe-  
rentijs, Metheora demonstrantes I Aerea. II Aquea. III Ig-  
nea. IIII Terrea. V Formalia. VI Spectrica.

Quorum Species ömnes, mixtiones & in singulis diuersi-

B tates